

paternitatem supponens. Haec etiam ex laudato Bertio citato loco ad litteram fere hic transcripsimus, quibus singularis illa de intellectio-
ne sententia penitus corrumpitur. Quo tandem expleto, et primus nos-
trarum Institutionum liber, qui de existentia et essentia Dei agebat,
explicit.

LIBER II.

*In quo de Dei proprietatibus disseritur; ac no-
minatim de iis quae ad Dei substantiam
pertinent, et negantes dicuntur.*

VT in rebus a Deo conditis aliud est natura rei vel substantia; aliud quod ex eo sequitur, illique inhaeret, quales sunt proprietates; sic in Deo, tametsi simplicissimus sit, aliud esse cogitamus quod ipse est; hoc est, eius naturam aut essentiam, aliud quod hanc modificat, eamque iam constitutam supponit. Sic diuinam substantiam et naturam tamquam subiectum proprietatum opinione fingimus; hasque velut perfectiones quasdam, quae diuinam naturam consequuntur. Variè autem illas nominare consueuerunt Theologi: dignitates nempe, notiones, proprietates naturales, attributa. Illarum quaedam sunt absolutae, totique Trinitati communes; aliae sunt relatiuae, ac personarum propriae. Priorum aliae negantes dicuntur, et ad ipsam Dei substantiam pertinent; aliae vero affirmantes, et ad eius operationem spectare concipimus. Ex duplici hoc posteriore genere primum hoc libro complectemur. Earum porro prima se nobis Dei simplicitas offert: quae appellatione quidem vna esse videtur affirmantium perfectionum; reuera tamen inter negantes adscribitur: nihil aliud quam sit simplicem esse quam compositione carere. Ad rem ergo.

CAPVT I.

Dei simplicitatem defendit.

Deus simplex est, ac nullis constans partibus.

Pertinet haec propositio ad fidem, et probatur ex Scriptura. Ioan. ix. v. 24. habetur: »Spiritus Deus est, et eos qui adorant eum in spi-
ritu et veritate oportet adorare.« Quae verba et Deum animum
quendam solutum ac liberum, segregatum ab omni corpore restan-
tur, et docent non cultu corporeo, vel vno tantum in loco, sed
mente, et vbique eum esse adorandum. Item Prou. viii. v. 12. legitur:
»Ego sapientia habito in consilio.« Daniel. ix. v. 24. Christus dicitur:
iustitia sempiterna. Quae omnia Deum formam simplicissimam,
et actum purissimum esse declarant.

Stant quoque pro hac veritate Concilia, Remense provinciale, Lateranense IV. et Florentinum generalia. In horum postremo PP. definerunt ses. xviii. omnia in diuinis esse quid vnum et idem, vbi non obuiat relationis oppositio.

lis firmissimis momentis consonant SS. PP. testimonia. Irenaeus (1) »multum, inquit, distat omnium Pater ab iis, quae proueniunt hominibus, affectionibus et passionibus: est simplex et non compositus, quum sit totus spiritus, et totus ratio.« Gregorius Nazianz. (2) »jan corpus, ait, eum esse dices? Quomam ergo modo immensus, infinitus, figurae expers, ac denique eiusmodi, vt nec tangi, nec oculis cerni queat?« Augustinus (3): »turpiter vana cogitatio est, inquit, quae opinatur Deum membrorum lineamentis definiti atque circumscribi.« Item (4): »porro si noster animus corpus non est, quomodo Deus creator animi corpus est?« Similia habent alii Patres, praesertim posteriores, qui ex instituto contra Antropomorphitas scripserunt.

Sed et ratio ipsa naturae id suadet, quae id esse Deo tribuendum admonet, quod melius est et perfectius: hoc autem est simplicem esse, et compositionis expertem ac partium: omnis enim compositum duabus saltim rebus absoluitur, quarum alterutra neque est alia, neque compositum: nam neque corpus animus est, neque homo, qui ex ambobus componitur, et ab vtroque distinguitur. Porro anima ipsa, quae vitam et motum homini imperitur, fonsque illi est et origo viuendi, perfectius hoc habet, imo est, quam homo. Etenim propter quod, siue quo alia quaequam res esse aliquid dicitur, magis istud est tale, vt Aristoteles docet (5). Si ergo Deus iis ex partibus componitur, a quibus habet, vt quodammodo vel natura, vel qualitatibus sit affectus, erit hoc minus perfecte, quam

(1) Lib. vi. cap. 16.

(2) Orat. xxxiv.

(3) Lib. xii. de Trinit. cap. 7.

(4) Lib. viii. de ciuitate Dei

cap. 5.

(5) Lib. i. Post. cap. 2.

ea forma a qua illud acceptit. Ita Deo erit aliquid perfectius, quod dictu perinde nefas erit atque absurdum. Hoc genere argumentationis vtitur Augustinus (6).

Deinde: quocumque excogitato corpore maius et maius sine fine poterit excogitari: id enim postulat quaelibet etsi ingentissima moles corporea, vt amplior magnitudo possit ei superaddi; Deo nihil maius potest excogitari: frustra ergo quaeritur inter corpora. Est argumentum eiusdem Augustini (7). Praeterea: quia partes illae ex quibus Deus perficeretur, vel finitae essent, vel infinitae: quod si finitae essent, non possent constituere vnum infinitum, qualis debet esse Deus, quo nihil maius est: ex duobus enim finitis simul iunctis non exurgit nisi vnum finitum. Si vero infinitae essent, ex illis componi neutriquam posset aliquod totum infinitum singulis infinitis maius; nam infinito in essentia nihil potest addi. Ita fere S. Bernardus (8). Tandem: si Deus partibus constaret realiter distinctis agnoscenda certe caussa esset superior et anterior, quae partes illas coadunasset et in vnum compegisset: Deus autem aeternus est atque antierius et superius habet nihil. Est argumentum Ambrosii (9).

COROLLARIA.

Primum itaque illud compositionis genus, quod est crassius et in rebus corporeis cernitur, a Dei natura simplicissima toto isto capite praecipue segregauimus. Sed exurgunt hinc quaestiones aliae, quae multum veteres exercuere: an scilicet saltem fiat aliqua compositio in Deo, ex quo tres in illo sint personae reipsa distinctae, vel ex substantia et personarum proprietatibus, vel ex genere et differentia, quas summis licet digitis, hic absoluere operae praetium ducimus. P. nam quidem communi SS. Patrum Basilii (10), Gregorii Nisseni (11), Cyrilli (12), Augustini (13), aliorumque responsione. Icecirco Deum compositum non esse, etiamsi tres personae inter se comparentur, quoniam vnica et singularis est in tribus essentia siue substantia, quae nulla partitione diuiditur. Tantum vero abest vt illud personarum discrimen Dei vnitatem simplicitatemque interpellet, vt haec realis personarum differentia ad id potissimum con-

(6) In lib. v. de Trinitate.

(7) Serm. xiv. ex editis a Parisiens.

(8) Serm. lxxx. in Cantica.

(9) Tract. in Symb. cap. 1.

(10) Lib. 1. contra Eunom.

(11) Tom. 1. (12) Dialog. vii.

(13) Lib. xi. contra Maximum

cap. 10.

conferat vt sit vnus ac simplicissimus Deus. Quod nisi tanta personarum inter esset distinctio, aut si vnica tantum esset persona Dei, in qua intelligentiae ac voluntatis operationes inessent simplices, quae substantiam nullum, vt vocant, terminum, hoc est, hypostasim nullam producerent, non iam vnus, neque simplex foret, sed compositus Deus. Atque illud est Graecorum Theologorum sermone vulgatum mysterium *vnitae ac distinctae Theologiae*, de quo praeclara extat Dionysii disputatio (14). Abeant ergo in malam rem haeretici, maxime Ariani, et qui inter eos deterrimi erant Aetiani, vel Eunomiani, hoc contra Catholicos cauillantes, quod quum vnam substantiam, et tres personas in Deo vno constituerent, euitare minime possent quin vnus iste compositus ex tribus esset.

Sed nec fieri in Deo compositionem ex substantia et personarum proprietatibus ex eo suadent Patres (15), quod haec cum illa res eadem et vna sint, nec nisi *ἁβη* et *ἰωίνα* differunt. Atque vt in rebus a Deo conditis vnum et idem est accidens, et ad aliud, siue respectus ad alterum, in iis, scilicet, quae accidentia capere possunt sic eadem necessario res est substantia, et ad aliquid in iis, quae nullum habere possunt accidens; cuiusmodi Deus est. Vnde vna et eadem res, et indiuisa communisque est; et est proprietas siue relatio, quae communis non est, sed ab altera proprietate reipsa distat. Ratione itaque distinguuntur proprietates personarum, non re, tametsi diuersa de vtroque praedicentur; hinc complexio quaecumque inter illas reperta extra compositionis suspicionem est, quoniam non reuera in Deo est, sed in cogitatione nostra, quam fides et recta ratio corrigit.

Quid de genere illo compositionis, quod ex substantia et qualitativibus constat; sicut et de alio etiam quod genus et differentiam exposcit? Antiquorum praeclarissimae sententiae docent nos, et rem ipsam, siue Dei substantiam, cui tamquam formae et perfectiones in rebus creatis adscribuntur qualitates illae, nihil ab iis differre in Deo; et repugnare ipsi actus et potentiae notiones ob infinitam illius puritatem; neque enim sic ille nobis obici potest vt in eo gradus quidam delineentur essentiae, quasi distincti, quorum alius communis sit cum ceteris formis, quas idem genus complectitur, alius pro-

(14) Lib. de diuinis nominibus Athanas. Tom. II. Nazianz. orat. xxi. in S. Athanas. Damasc. lib. 1. cap. 13.

(15) Basil. lib. II. adu. Eunomium. Alii plurimi.

proprius quo ab illis quae sub eadem sunt communitate distat.

Qui vero pleniorum harum quaestionum solutionem desideret, consulat SS. PP. apud Petauium (16). Interim audiatur S. Thomas sic egregie scribens (17): »in Deo non est compositio quantitatarum »partium, quia corpus non est, neque materiae et formae, quia est »actus purus nihil habens de potentialitate; ita nec in eo est aliud »natura et suppositum, neque aliud essentia et esse, neque est »in eo compositio ex genere et differentia, neque subiecti et ac- »cidentis«.

Quando autem pro diuina simplicitate vindicanda hucusque progressi sumus, ut omnem omnino realem distinctionem quam longissime a Deo amouerimus, distinctionem rationis inter Dei essentiam, eiusque attributa ponere cum Theologis omnibus catholicis nobis constitutum fixumque est. Haec vero qualis? Virtualem distinctionem acerrime propugnant Theologi, qui Augustinianae vel Thomisticae scholae nomen dederunt. Omnes in eo sunt, ut Deum rem summam ac simplicissimam fateantur, pluribus tamen rebus distinctis aequivalentem: solidissime quidem. Nec enim negare audebit aliquis infinitam Dei virtutem tantum valere, quantum distinctae inter se creaturarum finitae vires: quia tamen id non potest vna animi perceptione absolute cognosci, imperfectas illas internotiones, quae de Deo animo formantur, intelligentia ac ratione distingui videmus. In eo autem inter se dissident ii Theologi, quod primi fundamentum vnicum distinctionis in effectibus, terminis, et connotatis agnoscunt: secundi vero ex parte obiecti reperiri rationes asserunt, quarum vna in esse cogniti non est altera. Re tamen penitius inspecta non est cur adeo aspera inter hos Theologos persistat collectatio: praesertim quum scholarum praedictis semotis, seu potius verborum inuolucris ambagibusque, facile sit quaestionem huiusmodi declinare, qua iuniores haud mediocriter torqueri solent et implicari; ut optime Bertius (18). Atque haec de attributorum distinctione ab essentia strictim dicta sunt, quae frugi Theologo sufficere debent.

CA-

(16) Theolog. dogm. lib. II. capp. 3. 4. 5. 6.

(17) I. p. quaest. 3. art. 37.

(18) De Theolog. discip. lib. II. cap. 3.

CAPVT II.

Veterum de diuina simplicitate complectitur sententias, et eorum soluit argumenta.

Constituto Deum esse simplicissimum et omnis omnino compositionis expertem, illorum hic sententias referre, qui haud recte de diuina simplicitate senserunt, ordo ipse postulat. Deum ergo corpus esse persuasum olim habuere Gentiles, non rudes solum et indocti, sed etiam sapientes quidam et Philosophi. In eo tamen diuersi illi fuere, quod rudiores, hoc est, maior illorum pars, non solum Deos humana specie praeditos finxerunt, sed et multa simulacra tamquam Deos venerati sunt: pauci vero docti ac sapientes facile viderunt nullam diuinitatem status inesse; putauerunt tamen illis vel instrumentis Deos vti ad exhibendam praesentiam suam et virtutem. Horum opiniones si quis accuratius nosse cupiat ex antiquorum commentariis eas repetat, velut Ciceronis (1), Plutarchi (2), aliorum. Inter Iudaeos autem Sadducaeos, qui dari spiritus negabant, constat ex Act. Apostol. (3) Item Stoici illi, qui vel ignem, vel mundum, vel materiam vbique diffusam esse Deum commenti sunt, hunc non nisi corporeum existimarunt. De Manichaeis idem refert S. Augustinus (4). Verum exteris omissis, eos perstringamus, qui in christiana professione pari de Deo errore lapsi sunt. Ex iis primo loco memorandus est Melito Asianus Sardensis Episcopus, qui M. Antonino Vero imperante vixit. Post hunc commemorandus Tertullianus qui Deum esse corporeum existimasse videtur. Quin et Lactantius Firmianus obiter notandus est, qui in libro de ira Dei figuram quamdam Deo tribuit, ut Petauius notat (5), etiamsi eum excusare Bertius conetur. Huic subiciendi Seleucus, et Hermias Galatae, teste Philastrio (6); quod tamen Augustinus tacuit in libro de haeresibus. In eandem haereseos suspicionem inducitur Audiud, a quo fertur, Antropomorphitas dictos fuisse Audianos: et quod grauius est Epiphanius, Hilarius, et Theophilus. Jure autem an iniuria? Quod capite sequente proferemus iudicium declarabit. Vnum modo tantquam certum exploratumque ponere debemus: Antropomorphitas,

Tom. I.

P

si-

(1) In lib. de nat. Deor.

(3) Cap. XXIII. (4) Lib. III. cap. 7.

(2) I. de Philosophorum placitis.

(5) Lib. II. cap. VIII. (6) Cap. VIII.

siue ab Audio, vt plerique putant oriundi, siue ex eius opinione stolidi erroris ansam nacti, humani corporis et membrorum speciem Deo tribuisse. Horum haeresis circa Theodosii tempora orta est in Aegypto, IV. scilicet Ecclesiae saeculo, vt Socrates, Sozomenus, et Cassianus scribunt (7). A Monachis pene omnibus tali ardore suscepta haec haeresis fuit, vt turmatim in eum descuerint errorem, quod Deus sit Antropomorphos, formae nempe humanae et corporeae. De illis haec habet Sozomenus loco citato: »exorta quaestio per Aegyptum mouebatur, oporteret ne Deum Antropomorphon, hoc est, humana forma praeditum credere. Huius autem sententiae plurimi erant ex Monachis illic commorantibus, qui prae simplicitate sine examine Scripturam sacram accipiebant, et in ea Dei oculos, et faciem, et manus, et quaecumque alia huiusmodi audire consueverant«.

Praeter hos omnes memoratos, fuisse alios, qui etsi non sint ausi eiusmodi telis diuinam imperere simplicitatem, in eo tamen peccarunt, quod in indiuisa Dei natura intrinsecam admitterent distinctionem. Gilbertus Porretanus Pictauiorum Episcopus saeculo XII. de cuius errore non idem sentiunt eruditi; Gregorius Palamas, et Graeculi quidam Monachi, quibus Abbas Ioachimus additus est, id dogmatizarunt. Ecclesia Graeca schismatica Palamae, ceterorumque Monachorum errorem amplexa est in Synodo Constantinopolitana, quam Graeci nonam oecumenicam appellant; quaeque Barlaamo Monacho et Acyndimo illius discipulo anathema dixit, quod contrarium doctissent.

Huic ex aduerso opposita haeresis praeaeque diuiniae simplicitati iniuria est. In Aetio et Eunomio notata atque damnata a Patribus fuit: qui duo, omnia attributa nullo prorsus modo discrepare putabant ab essentia, ne cogitatione quidem et intelligentia nostra.†

‡ Quid tandem Scotus sua distinctione formali ex natura rei fecit? Ludouici Thomasini grauissimi Theologi iudicium est (8) expressum his verbis: »Scotus non hostiliter quidem diuiniae insultauit simplicitati, sed minus forsitan reuerenter ingenii sui acumen illi inseruit«. De ipsius distinctione sic loquitur Dionisius Petrauius (9): »ab hac vero (nempe a Gilbertina distinctione) vel nihil, vel parum discrepare scholasticorum aliquor opinio creditur, vt Scoti, qui ci-

(7) Lib. vii. cap. 7. Lib. viii. cap. 2.
Collat. i. capp. 2. et 5.

(8) Lib. iv. de Deo cap. 1. n. 2.
(9) Dogm. Theol. Lib. i. cap. 8. n. 2.

»tra notionem et intelligentiam nostram per se ab essentia diuina differre proprietates, et inter se ipsas existimat; quemadmodum e contrario ad Aetii et Eunomii placita implicati videntur generis alterius Theologi, qui in iisdem illis proprietatibus solum nominum discrimen agnoscunt«. Sit tamen sententia eiusmodi sui auctoris patrocinio satis valida.

Ad eos denuo veniamus, qui certo diuiniae simplicitati habentur iniurii, atque quibus fundamentis dementissimas opiniones stabilire sibi blandiantur videamus. Vnicum ergo Antropomorphitarum argumentum hoc est: substantia illa reuera corporea est, quae virtutem habet actiuam et consumtricem ignis; cuius imago in creatura terrena et mortali est; cui denique insunt dispositae partes ac sensitiuae potentiae: istiusmodi autem Deum esse varia Scripturae loca testantur: Deut. enim iv. et ad Hebraeos xi. »Deus dicitur ignis consumens«: Gen. i. »homo factus ad imaginem et similitudinem Dei« asseritur: in lib. Iob. cap. x. legitur: »manus Domini fecerunt me«: Isaia i. Psalm. cxxix. Exodi xxxiii. alibique passim Deo os, aures, oculi, pedes, cetera tribuuntur.

Ad Gilbertinae distinctionis fundamentum, quod spectat, ecce illud: nemine cogitante conueniunt naturae diuiniae et eius attributis praedicata opposita; naturam, scilicet, diuinam non produci, et filiationem produci, et his similia.

Tandem Eunomiani hoc ratiocinio innituntur: simplicitas summa, qualis Deo tribuenda est, nullo alio pacto melius obtineri potest, quam exclusa etiam distinctione rationis: non ergo haec in Deo datur.

At haec argumentationes quam sint debiles, infirmae, fractaeque omnes, vel me non dicente, intellecturi sunt. Nam sacra Scriptura (vt Antropomorphitarum insaniae occurramus) vbi sensus et passiones Deo tribuuntur, per metaphoram debet explicari. Hac lege Deus dicitur ignis consumens, praesertim ob iram aduersus peccata: eiusdem imago in homine collocatur, non quidem quo ad corpus, sed quo ad animum, praecminentiam, et dominium. Manus Domini eius potentiam, oculi exactissimam rerum omnium notitiam; pedes immensitatem, aures ipsius commiserationem, facies intimam visionem ac familiaritatem denotant. Est Augustini solidissima doctrina dicentis (10): »de membris Dei, quae assidue Scriptura commemorat, ne quisquam secundum carnis huius formam et figuram nos crederet similes Deo, »prop-

(10) Epist. cxlviii. ad Fortunatianum.

† Unde potest Deum comprehendere inferretur.

»propterea eadem Scriptura et alas habere Deum dixit, quas nos vti-
»que non habemus. Sicut ergo alas quum audimus protectionem in-
»telligimus, sic et quum audimus manus operationem intelligere debe-
»mus; et quum audimus pedes praesentationem; et quum audimus ocu-
»los visionem qua cognoscit; et quum audimus faciem notitiam qua
»innotescit«, cet.

Pro Gilberti autem ratione haec respondemus: minime repugna-
re quod ob respectus diuersos dicatur: ens increatum producitur, et
non producitur. Nempe producitur ratione personalitatis; non produ-
citur quatenus natura est: eo quidem modo quo de eodem homine
dicitur, quod est similis bestiis, et non est: similis quidem per ani-
malitatem, dissimilis per rationalitatem.

Ad vltimum, quod obiecebant Eunomiani, dicatur: summam Dei
simplicitatem aptissime saluari posita distinctione rationis: quo enim
perfectior ac simplicior res est, eo plura in illa ratio distinguit. Sic
in Petro ex. gr. distinguit substantiam, corpus, vitam, sensum, rati-
onale, cet. Sed de his nimis multa.

CAPVT III.

*Sanctorum Patrum Epiphani, et Hilarii orthodoxia vindicatur;
atque de Melitone, Tertulliano, et Audio iudicium fertur.*

Neque S. Epiphanius, neque Hilarius Deum esse An-
tropomorphos existimauerunt.

Probabilius videtur id sensisse Melitonem, Tertullia-
num, et Audium.

In oppugnatae haeresis suspicionem inductos fuisse Epiphanium, et
Hilarium praecedenti capite adnotauimus. Epiphanium inducere So-
crates, et Sozomenus; Hilarium Claudianus Mamertus. Quam vero
temere et audacter id factum sit, totis lacertis hic monstrare nobis
duximus gloriosum. Atque ab Epiphanio initium sumentes, immu-
nem illum fuisse ab errore Antropomorphitarum eruditi omnes con-
corditer tenent. Probant id efficacissime quidem ex iis quae ab Epi-
phanio ipso scripta gesta quae sunt. Audianorum siquidem dementia
redarguens haeresi LXX. qui in humano corpore diuinam stuebant

ima-

imaginem, sic scribit: »Qui fieri potest, vt quod aspectabile est, ei
»simile sit, quod videri non potest, aut corporeum corpore experti?«
Et infra: »penes Deum neque affectio vlla, neque defectio est; sed
»vndequumque lumen est: spiritus enim est Deus, qui omnem spiri-
»tum exsuperat«. Et hanc, quam scripto expresserat, suam reuera
fuisse fidem, factum illud confirmat a Hieronymo relatum (1). Est
huiusmodi: quum Ioann. Ierosolymitanus contra Antropomorphitas
populo adstante concionem haberet, atque manu, oculis, totiusque
corporis partibus veller sanctissimum senem Epiphanium ibi assisten-
tem suspectum facere illius haereseos; Epiphanius salutata Ecclesia
in haec verba erupit: »cuncta quae locutus est Collegio frater, acta-
»te filius meus, contra Antropomorphitarum haeresim bene ac fi-
»deliter locutus est: quae mea quoque damnatur voce,« cet. Siue
ergo quae Epiphanius scripto tradidit, siue quae viva voce expressit
perpendantur, ille non nisi per iniuriam inter Antropomorphitas ad-
numerari euincitur.

Nec facit, quod Ioann. Ierosolymitanus, vt dicebamus, Epipha-
nium in suspensionem haeresis induxerit; multo minus quod Socrates,
et Sozomenus male de illo senserint. Non quidem primum: nam Epi-
phanium inter et Ioannem magnum grassabatur dissidium, Ioannem
Epiphanio accusante quod faueret Origenistis, Epiphanium Ioanne
perfecto odio odiente, et erroris Antropomorphitarum nota insimula-
nte. Sed nec secundum facit. Auctores enim illos offendit consue-
tudo Epiphani cum Theophilo Alexandrino, qui cum Monachis
Aegyptiis hac haeresi infectis communicauit: non aduertentes quod
eorum communicatio erga damnationem librorum Origenis tota ver-
sabat. Deinde nimis creduli illi sunt erga Ioann. virum Origenistam,
atque Epiphani hostem infensissimum.

Alteram defensionis partem sic comprobare pergimus: Hilarium
non debuisse in eodem cum Fausto includi errore eius scripta tes-
tantur, in quibus ita corporea omnia praeter Deum esse expressit, vt
et Angelos, et hominum animas mole sua et quantitate constare di-
xerit. Contumeliose itaque de illo contra Faustum Regionensem scri-
bens Claudianus Mamertus (2) adseruit; consentaneum sibi Picta-
uum Hilarium habere. Extra reprehensionem etiam illud est, quod
de solo Deo incorporeo Hilarius scripserat (3). Nihil enim dictum
est ab eo, quod non disserte senserint alii complures veterum: iccir-

co

(1) Epist. LXX. (2) Lib. III. de statu animae. (3) Cap. v. in Matth.

co Deum incorporeum esse, quia est vbique, neque loco definitur aut circumscribitur: tum quia immutabilis est: quae quum praeter Deum nulli alteri congruant, solus ille incorporeus eo sensu merito dicitur. Censuit sic Augustinus (4), Deum sensu aliquo solum incorporeum affirmans. Censerunt et alii Patres. Iustinus autem martyr (5): imo qui sub illius nomine legitur auctor quaestionum graecarum, Deum neque corporeum neque incorporeum esse adserit; quippe qui vt supra corpus, ita supra incorporeum est, et vtriusque conditor. De defensione itaque Epiphani et Hilarii diximus satis. Superest vt erga reliquos sententiam nostram proferamus.

Habent vero ii omnes patronos, et numero et eruditione clarissimos. Stant enim pro Melitone L'Hermerier, Tournely, Boucat, alii. Pro Audio Epiphanius ipse, vt quidam credidere. Verum habent quoque oppugnatores inuictissimos. Et quidem Melitonem Antropomorphitam esse disserte tradit Origenes apud Theodoretum (6), auctor inquam Melitonis aetati suppar. Legimus siquidem in postrema Theodoretii operum Graeco-latina editione: »ante omnia disputandum illud est, vbinam constet istud: ad imaginem, an in corpore, an in anima. Videamus porro quibus vtantur, qui prius adserunt. E quorum numero est Melito, qui scripta reliquit de eo »argumento, Deum esse corporeum«. Excerpsit autem talia ab Origene non solum Theodoretus, sed et Eusebius, ab istoque Hieronymus: qui praeterea dissimularunt non pauca, ne haereticici abuterentur Praesulis praestantissimi auctoritate. At Sixtus Senensis plurimum in iis quae vertit falsus est, et immerito reprehenditur Ioannes Picus ob suam interpretationem. Probabilius itaque apparet Melitonem Antropomorphitam fuisse habita ratione clarissimorum Scriptorum, qui id adseruere, imo et argumentorum quibus suam opinionem firmant.

Propior tamen huic errori fuit Tertullianus, si criticis fere omnibus fides debetur. Argumentantur ii ex Tertulliano ipso dicente (7): »nihil enim si non corpus«. Item (8): »quum autem sit, habeat necessesse est aliquid per quod est. Si habet aliquid per quod est, hoc erit corpus eius: omne quod est, corpus est sui generis. Nihil est »incorporale«. Similiter (9): »quis enim negabit Deum corpus esse, etsi Spiritus sit? Spiritus corpus est sui generis in sua effigie«. Tandem

(4) Epist. viii. et xx. quam de animarum origine scripsit ad Hieronymum.
(5) Quaest. 2. (6) Quaest. 20. in Exod.

(7) In lib. de anima cap. 7.
(8) In lib. de carne Christi cap. 11.
(9) Lib. contra Praxeam cap. 2.

dem (10): »nam dexteram, et oculos, et pedes Dei legimus, nec ideo tamen humanis comparabuntur, qui de appellatione sociantur«. Indubium quin haec apertissima ipsius Tertulliani verba impugnatores numquam forte superandos conciliarint. Grauisssimam iraque de illo suspicionem esse docent S. Thomas (11), Huetius, et Pamelius. (12) Quid autem de illo S. Augustinus? Tertullianum, ait (13), non solum animam hominis esse corpoream credidisse, sed etiam Deum, quod neutrum incorporeum cogitare potest. Et (14): »mirandum non est hoc somniasse Tertullianum, qui etiam ipsum creatorem Deum, non esse nisi corpus opinatur.« Eundem tamen non sibi constare, dicit, qui in lib. de anima cap. 3. omne corpus esse passibile scribit. Verum non est, quod aut pristinam sententiam de Deo corporeo mutasse putetur hoc loco, aut secum re ipsa pugnare. Prius, quia passibile sic sumit in citato libro, vt non qualemcumque passionem significet, sed eam, quae mutationem aliquam et corruptionem suapte natura, sensumque doloris afferat: cuiusmodi cruciatus est animarum et exustio. Deinde, quia passiones aliquas, siue sensus generis sui, hoc est, »in corruptorios confert in Deum, vt ex iis, quae contra Marcionem scribit, constat. Quominus ergo corpus habeat Deus ex Tertulliani sententia nihil obstat, quod omne corpus passibile esse credidit. Nam et Deum suo modo pati aliquid arbitratus est: tum diuinum corpus, diuinaque itidem membra sui generis agnouit, et ab humanis diuersa.

Neque ad excusandum Tertullianum plus facit, quod Augustinus adserat (15), illum corpus vsurpare pro quacumque substantia. Nam Augustinus id non affirmat; sed posse, ait, »quoquomodo putaris dum vero Tertulliani errores recenset, affirmatiue loquitur ac definit. Siue ergo Tertulliani scripta conferantur, siue accusatorum numerus et auctoritas, probabilius nobis apparet, illum Antropomorphitis esse accensendum.

De Audio idem iudicium a nobis fertur, ob auctoritatem praesertim Theodoretii adserentis, illum humanum corpus et formam Deo affinxisse, et quae membra metaphorice Deo in Scripturis tribuuntur, vere et re ipsa in illo esse iudicasse. Sic in lib. 4. de haeres. (16) Au-

(10) Lib. 11. adu. Marcion. cap. 16.
(11) I. cont. Gent. cap. 20.
(12) In Origenianis lib. 11. quaest. 1.
In Paradox. cap. 15.

(13) In lib. x. de Gen. ad litteram.
(14) Epist. cxc. ad Optatum.
(15) In lib. de haeres. cap. 86.
(16) Cap. 13.

Augustinus quoque id ipsum testatur in Tom. VI. (17) Vadiano pro Audianis appellans ipsius sectatores: quod Latini deinde illius imitatione fecerunt. Epiphanius autem scribit (18), illum nulla in re a catholica dissensisse Ecclesia. Perbelle quidem. Nusquam, adserit, etiam quum illius opiniones recenset, Deum Antropomorphon, aut corpore praeditum existimasse. Et hoc etiam belle. Ceterum illum in re vna peccasse dicit; quod nempe illa Scripturae verba, quae hominem *ad imaginem Dei esse factum* significant, durius ac praefractius interpretaretur, quum quidem imaginem Dei in corpore ipso sitam esse defenderet. Quonam ergo pacto conciliari ista poterunt? Tenendae, inquam, priores Epiphani sententiae, quas in Audii patrociniū adtulimus, tertia penitus oblita ac neglecta? Benigna ac liberalis excusatio ista esset, non certa atque digna apologia, maxime quum ex illius de imagine Dei in homine opinione consequens putauerint Theodoretus et Augustinus illum, Deum corporeum existimasse. Ergo Epiphanius illum certo accusat ob dictam interpretationem; et non nisi obscure eum excusare videtur ob fidem diuinitatis ac Trinitatis; quandoquidem de hoc peculiari dogmate nunquam loquitur. Quinimo nulla apparet maior ratio sequendi Epiphani opinionem, quaecumque tandem illa sit, quam Theodoret et Augustini. Verum de his agere pluribus nihil attinet. Iudicium nostrum tale est erga Melitonem, Tertullianum, et Audium; parati illud deponere, si robustiora iis, quae hucusque a suis patronis producta sunt, momenta adfuerint.

CAPVT IV.

Dei immutabilitas adstruitur: quae aduersus illam facere videntur explicantur: Origenes, Tertullianus, et Lactantius obiter notantur.

Deus est omnino immutabilis.

Hanc perpetuam permanentiam, in quam neque substantiae, neque accidentis intercidit vicissitudo, Deo conuenire dissertis testimoniis testantur sacrae litterae. Sic Num. xxiii. dicitur: »non est Deus quasi homo vt mentiat; nec vt filius hominis vt mutetur«. Apud Malachiam cap. iii. »ego Dominus et non mutor«. In Psalm. i.

(17) Lib. de haeres. cap. 50.

(18) Haeres. LXX.

et

et c. »tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient«. Iacobi item i. v. 17. »apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio«. Cyrillus deinde (1) locum quemdam ad idem institutum accommodat Prophetae Ieremiae, qui est Baruch iii. »quia tu sedes in sempiternum, et nos peribimus in aeternum«. Ibi enim stabilitatem et immutabilitatem diuinae naturae, et vt semper eodem se modo habeat significans Propheta, dicit: »tu sedes in sempiternum«, cet.

Post sacrae Scripturae oracula stat totius Ecclesiae vox in Conciliis generalibus expressa. Primum id sancitum fuit in Nicaeno Concilio contra Arium, qui Filium Dei, et eundem Deum alterius ab summo conditionis et naturae esse dicebat, ac mutabilem sic faciebat, vt ad peiora conuerti posset. Verba Concilii, interpretantibus Ambrosio (2), et Hilario (3), haec sunt: »qui dicunt, erat aliquando quando non erat, cet. aut mutabilem et conuertibilem filium Dei, hos anathematizat catholica et apostolica Ecclesia«. Id ipsum deinceps sancitum est in ceteris oecumenicis Conciliis, quae positam in Nicaeno fidei formulam comprobant.

Nullus praeterea SS. PP. hanc apertissimam veritatem reuocat in dubium. Cyrillus Alexandrinus (4): »natura, inquit, diuina in se ipsa firma et stabilis est, nec mutationem in aliud recipit, sed eodem modo semper se habet, et in suis ornamentis constanter manet«. Gregorius Nissenus (5): »sola conuersione omni, mutatio neque superior est natura diuina. Nihil enim est ad quod mutatio ne vtatur, quum nec mali sit capax omnino, neque ad id quod est melius conuerti queat. Non enim est aliquid, ad quod mutationem recipiat; quippe non se habet melius quidquam, ad quod transitum faciat«. Augustinus (6): »Creatoris, hoc est, summae, atque ineffabilis Trinitatis inuisibilem incommutabilemque naturam, et a mortalium carnalium sensibus, et ab omni conuertibilitate siue in melius, siue in deterius, siue in quodlibet aliud, atque aliud, remotam, atque discretam, vel sine vlla dubitatione credamus, vel qualicumque etiam intelligentia capiamus«.

Accedit multiplex ratio theologica. Prima: quaelibet mutatio aut substantialis est, aut accidentalis; in Deo nulla ex iis mutationibus

Tom. I.

Q

est:

(1) In lib. thesauri xiii.

(4) Lib. i. in Ioannem.

(2) Lib. i. de fide cap. 9.

(5) Cap. 4. in Psalm.

(3) In fragmentis.

(6) Epist. cii.

est: quia in illo neque fuit quod iam non est, neque erit quod nondum fuit: ergo nulla prorsus mutatio in illo est. Secunda: Deus est essentialiter ipsum esse: non igitur potest in illo non esse quod erat, ac proinde non potest mutari. Tertia: origo et caussa rerum mutabilium est omnino immutabilis: Deus ergo qui est huiusmodi mutari nescit. Quarta: summum bonum transire nequit, aut a deteriori in melius, aut a meliori in deterius: tale bonum Deus est: ergo. Argumentationes sunt S. Augustini (7).

Quae vero aduersus Dei immutabilitatem sic firmatam obici solent, non valde quidem perplexa illa sunt: sunt tamen proponenda et explicanda. Horum primum et praecipuum illud est: quod vix animo capere possumus quomodo non sit mutatus Deus, quum res omnes voluntate sua condidit: nam tunc certe mutatio accidit quum ab vno statu fit transitus ad alterum: Deum igitur, qui per infinitam aeternitatem nihil condidit, quum posset, tunc quum re ipsa agere incoepit, fuisse mutatum, res indubia videtur. Deinde: Deum quos volebat saluos fieri, reprobare, damnare, ac gehenae ob patrata crimina adicere, aliud non est nisi voluntatem diuinam ab hominum sceleribus immutari. Ad haec: quaedam ex tempore Deo conueniunt, vt esse Creatorem, Dominum, creaturarum Rectorem, cet. Similiter: mutatio fuit vera, qua Verbum in Virginem descendisse, et quasi loco se mouisse dicitur. Accedit: Deum irae, poenitudini, ceterisque passionibus subici, vt ex Scripturis colligitur.

Sed haec omnia facilem alioquin habent explicationem. Et primum quidem, quod quum de Dei voluntate et operatione agemus, fusius tractabimus, sic modo soluendum est: non mutari iccirco Deum, quum quod haecenus nondum fecerat, mundum aut rem quamcumque aliam creat, quia nulla est in eo potentia, sed totum actus occupat: mutatio autem non nisi eius est, quod est potentia, vt ex Aristotele dici solet. Attingunt hanc rationem Cyrillus (8), et S. Augustinus (9) cum aliis. Secundum sic contra Gentes soluit Ambrosius: »Aspernanti fugientique infundenda in gremium est diuinæ benevolentiae gratia? Nulli Deus infert necessitatem, imperiosa formido nullum terret: neque enim necessaria nostra illi salus est. Volebat itaque Deus saluos illos fieri ipsis volentibus et legi obtemperantibus; non vero renitentibus gratiae et nolentibus«. Tertium illud est, cuius difficultate fractus Origenes in eum impiegit opinionis erro-

(7) Variis in loc. (8) In 2. dialogo de Trinitate. (9) Lib. II. de ciuit. Dei.

rorem, vt putaret Deum ex omni aeternitate hanc rerum vniuersitatem creasse. Refert hoc apud Photium sanctissimus et doctissimus martyr Methodius, qui Origenis portenta, quem et Centaurum appellabat, acriter et solide refutauit. At Tertullianus in primo contra Marcionem nonnulla iacit, quae suadere possint, Deum numquam sine opere aliquo reque procreata fuisse. Nam Deum Marcionis, qui ab omni aeternitate otiosus et vacuus fuerat, Deum non esse arguit. Facile tamen est haec omnia dissoluere: nomina enim illa, quae de Deo dicuntur, et ad res creatas comparantur, quamuis temporaliter de Deo dici incipient, non tamen ipsi substantiae Dei accidisse aliquid euincunt, sed illi creaturae ad quam dicitur. »Quod ergo temporaliter dici incipit Deus quod antea non dicebatur, manifestum est relatiue dici: non tamen secundum accidens Dei, quod ei aliquid acciderit, sed plane secundum accidens eius ad quod dicitur aliquid Deus incipit relatiue«. Ita S. Augustinus (10). Sunt tamen qui dicant Deum etiam ex aeterno Dominum et Creatorem, et huiusmodi alia fuisse: quod licet re ipsa nondum creasset aliquid, vim tamen procreandi haberet: quemadmodum architectus talis etiam dicitur, quum nondum opus artis suae vllum edidit, eam tamen poterit, quum liberit, exercere.

Quae vero ex Incarnatione argui videtur mutabilitas, fusius suo loco, propriaque tractatione dissoluetur. Nunc quasi in antecessu dicimus: neuiquam Deum mutari aut moueri loco ex quo Verbum in Virginem descenderit: quia vbique per substantiam est, sicut per eandem substantiam vbique aliquid operatur. Quare vt sine vlla commutatione operari quiduis dicitur, sic est vbique nulla sui mutatione: hinc quum homo factus est vel caro, Deus mutatus minime est. Sic quippe assumpsit nostra, vt non dimitteret sua: mutatio autem in aliud fieri non potest, nisi esse desinat quod prius fuerat.

Superest pro vltimo soluendo, de iis animi moribus loqui, quos Scriptura memorat. Horum quosdam reuera inesse Deo senserunt veterum aliqui. Et quidem iram ei affinxit Lactantius Firmianus in eo libro, quem pulcherrimum appellat Hieronymus, de ira Dei (11), vbi sic loquitur: »timor igitur Dei solius est qui custodit hominum inter se societatem: is autem timor auferretur si fuerit homini persuasum, quod irae sit expers Deus, quem moueri et indignari non modo, quum iniusta fiunt, communis vtilitas, sed etiam ratio et

Q 2

» ve-

(10) Lib. v. de Trinitate cap. 13.

(11) Cap. 12.

»veritas persuadet«. Et ne quis *effectu* solo, vt aiunt, non *affectu* haec in Deo constitui ab illo putet, animaduertat oportet, ceteros affectus ab eodem segregari, velut timoris et cupiditatis; istos vero relinqui, laetitiae, gratiae, odii, et irae: at si sola horum affectu Deo tribueret, *zeur* et timorem et cupiditatem adderet; praecipue quum et effecta ista Deus in Scripturis praeseferat?

Non minus iram Deo Tertullianus attribuit; non signo tenus et efficientia, vt ad illum excusandum Pamelius asserit. Testantur hoc ipsius scripta, in quibus iram a vindicta segregans, ambo Deo affingit. In primo contra Marcionem (12) sic loquitur: »stupidissimus ergo, qui non offenditur facto, quod non amat fieri, quando offensa comes sit frustratae voluntatis: aut si offenditur, debet irasci, si irascitur debet vicisci: nam et vltio fructus est irae, et ira debitum offensae, et offensa, vt dixi, comes frustratae voluntatis«.

Quidquid tamen de Lactantii et Tertulliani peculiari hac sententia sit, argumento respondendum est: Deo tribui iram ceterasque humanas affectiones metaphoricè tantum. Est ergo ira Dei, vt Augustinus scribit (13), »motus qui fit in anima, quae legem Dei nouit, quum eandem legem videt a peccatore praeteriri cet.« Quamquam possit ira Dei recte intelligi etiam ipsa mentis obscuratio, quae consequitur eos, qui legem Dei transgrediuntur. Similiter Dei poenitentia, vt ipse Augustinus tradit (14), non est post errorem, sed rerum in eius potestate constitutarum mutatio. Vbi enim legitur quod poeniteat Deum, mutatio rerum significatur, immutabili praesentia manente diuina; et vbi non poenitere dicitur, non mutatio intelligitur. Ita ergo intelligere est, vt Isidorus Hispalensis loquitur (15), et alias passiones, quas de affectione humana ad Deum Scriptura ducit: vt et iuxta se incommutabilis sit credendus, et tamen pro caussarum effectibus, vt facilius intelligatur, nostrae locutionis et mutationis genere appelletur.

CA-

(12) Cap. 26.

(13) In enarratione Psalm. 11.

(14) Lib. xvii. de ciuit. Dei.

(15) Lib. ii. Sentent. cap. 5.

CAPVT V.

Quod solus Deus aeternitatem propriam habeat eniucitur.

Deus aeternus est.

Testantur id diuinae Scripturae. Legitur enim Deuter. xxi. »vivo ego in aeternum«. Psalm. ix. »Dominus in aeternum permanet«. Dan. vii. »potestas eius potestas aeterna«. Ad Hebraeos i. »ipsi peribunt, tu autem permanes«.

Idem docent vnanimiter PP. Gregorius Nazianzenus (1): »Deus, inquit, et erat semper, et est, et erit, vel vt rectius loquar, semper est: nam est, et erit, rationi temporis congrua sunt«. Boetius (2) »Deum, ait, aeternum esse cunctorum ratione praedictorum commune iudicium est«. Anselmus (3) cum Deo loquens scribit: »nec tu habes partes, nec tua aeternitas: sed vbique totus es, et aeternitas tua tota est semper«. Augustinus (4): fuisse creaturum esse non est in eo, sed esse solum«.

Argumenta deinde a ratione petita, quae diuinae aeternitati suffragantur haec sunt. Primum: quum Deus id sit, quo ne fingi quidem maius aliquid possit aut perfectius, talis nequam esset si non ex aeterno fuisset. Ita Tertullianus (5). Secundum: si aliquando Deus non fuit, a se ipso initium non habuit: igitur ab alio originem summisit: idque in infinitum vsque procedet, nisi in aliquo sistat nostra cogitatio, quod ex omni aeternitate sic fuerit, vt a nullo initium acceperit. Hoc autem Deus est. Ita Hugo Victorinus (6). Tertium: si Deus ex aeterno non fuit, vel aliud quiddam ante illum existit, vel nihil. Si aliquid aliud fuit, hoc erit Deo melius ac praestantius: quod cum Dei communi notione pugnat. Si nihil omnino fuit, ne futurum quidem tunc aliquid fuit; quia qui sibi vel aliis initium existendi daret, vel dare potuisset, tunc omnino non fuit. Quod quam falsum sit ipsa euidentia ostendit, et rerum existentium experientia conuincit. Ita Richardus (7). Quartum: quod a se viuut, ex aeterno et in aeternum viuut. Nunquam enim se desserit, qui sibi causa est

vt

(1) Orat. lxxxviii.

(2) De consolatione lib. v.

(3) In Proslolog. (4) Lib. ix. confes.

(5) Lib. i. cont. Marcion. cap. 3.

(6) Lib. vii. crud. theolog. cap. 17.

(7) Lib. i. de Trinitate cap. 8.

vt hoc ipsum sit quod existit : quoniam igitur a se est Deus, nunquam non esse potuit. Ita Marius Victorinus (8). Quintum : quicquid est immutabile debet esse aeternum : nam si non caret principio, mutatur de non esse ad esse : si non caret fine, mutatur de esse ad non esse : Deus ergo qui prorsus immutabilis est, aeternus sit necesse est. Ita Augustinus (9).

Sed dices primo : ubi occurrunt temporis praeteriti et futuri differentiae, ibi successio reperitur ; in duratione Dei temporis praeteriti et futuri differentias reperire est : dicitur enim Ioann. 1. » in principio erat Verbum «, et Apocalipsis 1. » qui est, et qui erat, et qui venturus est « : in illo ergo successio est. Secundo : generatio Verbi diuini iam diu praeteriit : nec potest dici hodie generari ; alias non esset aeternum.

Responderetur ad primum : quod Deus sua aeternitate complectitur omnia tempora, quatenus correspondet motibus, qui in diuersis temporis partibus fiunt. Egregie S. Augustinus his verbis (10) : » quamuis natura illa ineffabilis non recipiat fuit, et erit, sed tantum est, ipsa enim veraciter est, quia mutari non potest : tamen propter mutabilitatem temporum, in quibus versatur nostra mutabilitas et nostra mobilitas non mendaciter dicimus, fuit, erit, et est. Fuit in praeteritis saeculis ; erit in futuris ; est in praesentibus : fuit quia nunquam defuit ; erit quia nunquam deerit ; est quia semper est. Neque enim velut qui iam non sit, cum praeteritis occidit ; aut cum praesentibus, velut qui non maneat, labitur ; aut cum futuris, velut qui non fuerat, orientur. Proinde quum secundum volumina temporum locutio humana varietur, qui per nulla deesse potuit, aut potest, aut poterit temporum, vera de illo dicuntur cuiuslibet temporis verba «. Ad secundum dicendum : generationem Verbi diuini, quia aeternam, etiam hodie durare, et in aeternum esse duraturam. Filius itaque Dei semper generatur, semper actu genitus est : vnde Pater ad Filium dicit in Psalm. ii. » Filius meus es tu, ego hodie genui te « : nec generatio illa tempore mensuratur, sed aeternitate, imo est ipsa aeternitas. Explicatur autem in Scripturis per verbum temporis praeteriti, *erat*, quod ad aeternitatem explicandam omnium aptissimum est ; vt contra Arianos notatur SS. PP. (11) Quandoquidem per hoc verbum *erat* intelligitur generationem illam totam simul et completam esse, semperque

(8) Lib. iv. contra Arium.

(9) In lib. de nat. boni cap. 39.

(10) Tractatu xcx. in Ioan.

(11) Hilarius, Ambros. August. alii.

que in facto esse. Verum de his redibit sermo quum de Trinitate agemus.

COROLLARIUM.

Ex his fit consequens : Deo sic conuenire esse aeternum, vt nulla creatura eius aeternitate possit potiri. Quanta libet enim aevi perpetuitatem et infinitatem Dei superat aeternitas. Nec creaturae vllae immutabilitas omnimoda potest competere : proindeque nec vita interminabilis quantum ad existentiam et operationem, cuiusmodi Dei aeternitas est. Rectissime itaque concludunt Patres aduersus Arianos Verbum non esse creaturam ex quo in Scripturis dicatur aeternum. Quia quod aeternum est, est immutabile ; nec initium, nec finem habere potest, siue in suo esse, siue in suis effectibus : eadem deinde semper est sua cognitio ; idem amor interminabilis ; quod a quacumque creatura quam longe abest.

Quid autem foret, si mundus non habuisset initium, vt quibusdam Philosophis visum est ? Non fuisset Deo coaeternus : nam mutationi esset subiectus, et temporis vicissitudinem pateretur. Adserit hoc Boetius (12). Quid rationalis animae natura spectata ? Hanc aeternam esse (id quod de Angelis dictum volumus) id est, immortalem, aeternitate sumta quatenus in sequentia infinita spatia diffunditur, non repugnans. At hanc non esse aeternitatem Dei quis non videt ? Sed talis vt aliquo rectissimo sensu mortalem etiam animam rationalem quandoque Patres dicant : quia scilicet habet vitam non desinentem ; sed quae in cognitione et amore mutetur, deficiat, proficiat.

Quid demum si lux quaedam increata, et aeonas (nescio quos) ponantur ? Fabellae istae sunt fuso calamo confutandae.

CAPVT VI.

Graecorum Palamitarum, et Augustini Steuchi Eugubini error notatur.

Valentiniana Aeonum fabula exploditur.

Fuere Graeculi quidam Monachi, *quiescentes* dicti, quorum princeps et antesignanus fuit Gregorius Palamas Monachus etiam ac Thesalonicensis postea factus Episcopus, qui lumen quoddam a diuinitate

(12) Lib. v. de consolatione.